

Q.K. 368, 24.

X 1903 700 42.

II n
6106

APOSPASMA
CHRONOLOGICUM
de tempore

CAPTÆ A TURCIS URBIS
CONSTANTINOPOLITANÆ

non minus utile, quàm jucundum
lectu Eruditis,

*imò in tanta caligine & ignorantia rerum Chronologicarum
hodie propemodum necessarium,*

editum à

M. CASPARO HEUNISCHIO,
Suinfurteni, Ecclesiæ patriæ Ar-
chidiacono.

Anno Æræ Christianæ M DC LXIV
Sumptibus Autoris



SCHLEUSINGÆ

EXCUDIT PETRUS SCHMIDIUS.



APR 23 1854

CHRISTIANITY

CHRISTIANITY

CHRISTIANITY

CHRISTIANITY



CHRISTIANITY

CHRISTIANITY





ΣΥΝ ΘΕΩ.

I.



Incidimus, proh dolor! divinâ, eâque
 justa permissione, in ea tempora, quæ nihil propè
 aliud, nisi Turcas sonant. Alibi arcus ac pharetræ
 conspiciuntur, tela volant, acinaces vibrantur, cæ-
 dibúsq; immanissimis replentur omnia: alibi nullæ,
 nisi de Turcis reprimendis, in medium consultatio-
 nes afferuntur. Turcæ nomen (quid enim interest,
 Turcos, an Turcas dicas?) jam pueris quoq; vix triennibus familiare est,
 ut in ore perpetuò habeant. Imò Turcicis rebus occupatæ sunt omnes
 pænè officinæ Typographicæ. Alius univèrsùm hoc regnum tyrannicum
 ab ovo repetit, & ex historicorum narrationibus describit: alius machi-
 nas Turcarum, dolos & artes, quibus ad tantam pervenerunt potentiam,
 eâmq; adhuc dum tutantur, atq; amplificare student, quò faciliùs decli-
 nari possint, manifestat. Sunt, qui ob oculos posito ingenti, quod nostris
 cervicibus imminet, periculo, languentes & quasi torpentes Christiano-
 rum animos ad arma fortiter capeffenda excitant: sunt, qui panico ter-
 rore perculsos in spem meliorem erigunt, ut actâ seriâ pœnitentiâ, divi-
 no nixi auxilio, de feliciori hujus belli eventu minimè dubitent. Ita quod
 quisq; potest, pro talento divinitus sibi concredito, in communem utili-
 tatem conferre satagit.

II. Pessimè autem omnium cum suis rebus, tum univèrsæ reipublicæ
 Christianæ consuluit, tum religionis pristinæ, tum artis, quam didicit atq;
 exercuit, jam calumniis ac mendaciis suis in divini Verbi Confessores no-
 tissimus desertor, *D. Iohannes Schefflerus*: qui, nescio quibus furiis agita-
 tus, ausus est, publico scripto, quod Turcicum appellat, (quo ipso verif-
 simè *Proclamat nomen Graculus ipse suum*)



universam hujus mali causam atque originem in Lutheranos unice conferre, ut quos ipsis Turcis quam similes esse spurcissimo contendit ore; hoc ad summum persuadere cupiens, nisi Nos ad Ecclesiam Romanam postliminio redeamus, nunquam posse Turcarum violentiae resisti, sed universum Imperium Romanum ab illis subactum iri.

Mitto portentiloquia alia, quibus impium hominis (nisi simulacrum potius hominis dicendus est) scriptum scater, veluti lacus ranis coaxantibus, & bufonibus ululantibus. Merito ausum tam temerarium Vir quidam Clarissimus comparavit cum stultitia civium, qui oborto incendio, intermissa cura restringendi, de autore ejus pervestigando anxie, sed praeposterè solliciti sunt, vel alius in alium culpam conferre annuntur. Quid enim sic promovetur aliud, nisi ut flammæ vicina quæq; loca corripiant, & grassentur passim, ne restringi amplius possint? Hoc igitur erat praecipuum, ut ardente proximo Ucalegone unusquisq; undas afferret, situlas, uncinos, scapas, & alia admoveret, atq; sic pro viribus allaboraret, ut flammis via intercluderetur, ne latius possent proserpere. Quanquam & suus est causas vel autorem incendii investigandi locus, sic tamen, ne restringendi cura & labor intermittatur. Sed quemadmodum, si pro incendiario homo innocens, isque civis etiam à furiosa plebe comprehensus, in ardentem aedem conjiciatur, hoc nefario sanè piaculo tantum abest, ut remedium incendio afferatur, ut etiam ira Numinis & flamma tantò ferventiùs arsuræ & grassatura sit: sic dubium est nullum, si *Schefflerus* cum complicibus perrexit, innocentes Lutheranos Turcici hujus incendii reos peragere, & sequiora in ipsos consilia agitare, quin hoc tandem pacto eventurum sit, quod ille absq; ratione ominatur. Sed Deus clementissimus ut avertat, seriis atq; humilibus precibus quotidie rogamus.

IV. Factum est hac occasione, dum calumniis & mendaciis Schefflerianis satisfieret, ac in causas motuum Turcicorum, quæ vel vendita-
rentur, vel verè darentur, inquireretur, ut mentio inciderit captæ Urbis
Constantinopolitanæ, unde nimirum potentia Turcica, ad tantum jam
profecta gradum, coepit magis magisque consurgere. Probaturus enim
Schefflerus, idololatriam & hæresin unicam Turcici super Christianos
invalescentis jugi causam esse, p. 33. hoc etiam affert, quod dicta Urbs ipsis
Ferijs

Ferijs secundis Pentecostalibus, Festo scilicet Spiritus Sancti, (cujus æternam à Filio æquè ac à Patre processione Græci tum præcipuè temporis fer- vidè impugnabant) expugnata fuerit.

V. Quæ antiqua fabula est, quam *Bellarminus* quoq; arripuit lib. 2. de Christo Cap. 30. & ult. sic scribens: *Ac ut intelligant causam exitij sui esse pertinaciam in errore de processione Spiritus Sancti: in ipsis ferijs Spiritus Sancti capta fuit Constantinopolis à Turcis, Imperator occisus, & Imperium omnino extinctum. Nam, ut probat Gerardus Mercator in sua Chronologia, anno 1452. die 28. Maji indixit Mahometes exercitui suo ultimam oppugnationem, & sequenti die Constantinopolim cepit. Illo autem anno fuit Pentecostes die 28. Maji, ut planum est ex aureo numero, & litera dominicali, unde Festa mobilia investigantur. Erat enim Aureus Numerus 9. & Litera dominicalis A. Hæc ille.*

VI. Ego doleo, quòd *Mercatoris* Chronologiam ad manus non habeam, ut possem cognoscere, hæccine ille omnia scribat, nec ne. Nam quæ aliàs in istum autorem laudes conferuntur, quàm diligens Chronologus fuerit, quàm peritus Astronomus, eæ vix permittunt, ut credam, quòd tantoperè erraverit. Credunt tamen, quæ *Bellarminus* è Mercatore scribit, etiam *Gretserus*, *Cornelius à Lapide*, alii. *Sabellicus* quoque Lib. 6. Ennead. 10. Constantinopolin à Mahomete II. die Pentecostes expugnatam esse Anno 1452. scribit: nec non *Blondus*, & *Masseus*, citati à *Zuingero* Theat. Vitæ Human. Vol. 24. f. 4031. Quos si autores secutus *Bellarminus* fuisset, non esset equidem, quod mirarer.

VII. Sed eorum Autorum, qui non Anno 1452. sed sequente 1453. captam esse Urbem unanimiter tradunt ac testantur, multò major est numerus, insignior autoritas. *Cuspinianus*, civis noster, ac decus Suinfur- tense, in Vita Constantini Octavi pag. 524. posteaquam, quos Autores habuerit, his indicasset verbis: *Scripsit de captivitate Constantinopolitana Ubertinus Puscus, Civis Brixianus, cum ex hoc prælio Romam evasisset, versibus libellum. Nec non Joannes Bocatius de Cartaldo, ubi multa de Turcis inseruntur, & alij Neoterici; mox ita inquit: Vrbs Romæ semper amula, paucissimis diebus dejecta ac crudeliter subversa, Anno nostræ Salutis millesimo quadringentesimo quinquagesimo tertio, quarto Calend. Jun. Cita- tur hujus rei testis à quibusdam & Aeneas Sylvius, qui num id alicubi,*

A 3

secum

secum ipse dissentiens, tradat, nec ne, dicere non habeo. Nam in Descriptione Europæ, Cap. 7. extremo, disertè ait: *Insignis hic annus fuit expugnatione Constantinopolitana, tam Christiano populo fœdus ac lugubris, quàm Turcarum genti faustus lætusque, qui ab ortu Salvatoris Christi secundus & quinquagesimus supra millesimum quadringentesimum cucurrit.* Citato tamen *Ænea*, anno 1453. historiam hanc assignant *Abr. Bucholzerus, Henr. Pantaleon*, & recentiores alii. Quod ego inde ortum existimo, quòd inter epistolas Sylvianas legitur una, (quæ tamen non ab ipso, sed Venetorum Duce scripta est) ex qua hoc confirmatur, quemadmodum mox etiam producemus. Adstipulantur autem veritati etiam *Matthias Palmerius, Bonfinius, Leonclavius, Cranzius, Funccius, Beroaldus, Calvisius, Helvicus, &c.*

II X. Immota hujus veritatis, quòd non Anno 1452. sed 1453. & quidem nequaquam in Feriis Pentecostalibus capta Constantinopolis fuerit, fundamenta compendio refert *Bucholzerus* Indic. Chronol. ad Annum 1453. *Chalcondylas*, inquiens, *habet annum 3. Mahometis, & 4. Constantini Palaologi, insuper exprimens diem Martis. Vngaria Chronicon annotat feriam 3. post diem Corporis Christi. Nobis præter illa, quæ allegavimus, abundè satis est testimonij, quod Franciscus Foscarì Venetiarum Dux in sua ad Fridericum Imperatorem Epistola (ea est in Epistolis *Æneæ Sylvij* 159.) expugnatam scribit Constantinopolim Maji (proximè elapsi) Et ejus litteræ datæ sunt Anno 1453. Indictione prima (quæ concurrit An 1453.) 27. Julij. Hæc paulò diligentius evolvenda sunt.*

IX. Primò annus captæ Constantinopolis, juxta *Chalcondylam* Græcum, est tertius annus Machometis, sive, ut periti Linguae Arabicæ hodie scribunt, Mohammædis II. quem annum etiam exprimit *Matthias Palmerius* Florentinus, qui *Chronicon Eusebii, à Matthæo Palmerio* usque ad annum 1449. continuatum, usque ad 1482. produxit, atque adeò his ipsis temporibus vixit. Si igitur hujus Mohammædis II. initium regnandi concordare deprehendi posset, de assignato tempore tantò minùs dubitare liceret. Verùm tanta est in barbari hujus Imperii serie perplexitas, ut vix duo autores in omnibus consentiant, quando hic vel ille Turcicus Imperator regnare cœperit, & quamdiu habenas Imperij tenuerit. Id videri potest ex hoc Parallelismo:

Impe-

Imperatores Turc.	Cuspin.	Func.	Zuing.	Pantal.	Calvis.	Helvic. è Scal.	Helvic.è Leoncl.
Othoman- nus.	A.C. 1250. reg. 10. an.		1300. 28.	1300. è Volat.	1297. ferè 30.	1297. 29.	1300. 29.
Orchanes.	22.	1328.	1328. 22.	1327. 22. Carion.	1327. 31.	1326. 31.	1328. 31.
Amurathes.	23.	1350.	1350. 23.	1349. 22. Volat.	1358. 32.	1356. 31.	1353. 30.
Pasaites, five Pajazetes			1373. 26.	1376. 26.	1390. 10.	1389. 9. capt.	1389. 11. capt. &c.
Calapinus.			1398. 6.				
Issem.					ferè 4.		
Soleiman.					1403. 7.	1403. 7.	
Musa, five Mose.					1410. 3. an. 3. m.	1410. 3.	
Machome- tus I.	17.	1399. 17.	1405 17.	1399. 17. Sabell.	1413. 8.	1413. 8.	
Amurathes II.	40.	1416. 34.	1419. 31.	1413. 33.	1421. ferè 30.	1421. 31.	
Machome- tus II.	31. mor. A.C. 1481.	1450. 32.	1449. 32.	1450 31.	1451 31.	1452. 32.	

X. *Calvis.* scribit, Anno 1451. die 10. Februarij fer. 4. die 8. Muharam, qui est primus mensis Turcarum, Amurathem mortuum esse, anno Hegi-



Hegiræ 855. in cuius rei fidem allegat Annales Turcicos, atq; tunc successisse ei Muhammedem filium. Hæc si ex Annalibus Turcicis, quos citat ille, certa sunt, tertioq; ejus anno capta est Urbs, quemadmodum ait Chalcondylas, non potest sanè res in alium, quàm 1453. annum conferri, ut etiam factum à Calvisio. Antea nominatus sanè *Palmerius* Amorrati mortem & Mahometi successionem in annum Christi 1451. confert, quin & annum captæ Urbis, regni ejus tertium nuncupat.

XI. Cæterùm de annis Hegiræ vid. *Calvis. Isagog. Chronol. Cap. 12.* ex cujus tabulis ac methodo annus iste sic deprehenditur. Numerus annorum Hegiræ 855. proximè minor est 840. cui respondent Anni Æræ Christianæ 1435. d. 354. m. 35. Residuum sunt 15. anni, 44. dies, 56. min. fer. 4. Hæc addita efficiunt annos Æræ Christianæ 1450. dies 398. & minuta 91. Si jam ex 60. minutis fiat dies, prodeunt dies 399. & minuta 31. Abjecto hinc, & Æræ Christianæ addito, anno Juliano 365. dierum & 15. minutorum, fit annus Christi 1451. unà cum 34. diebus & 16. minutis, quibus designatur 3. Febr. fer. 4. qua die & feria annus Hegiræ 855. incipit, quemadmodum Calvisius quoque ad eum annum annotavit. Haftenus igitur primus character captæ Urbis Constantinopolitanæ satis confirmatus est. *Academis* operationis talis est.

An. Hegir.	An. Chr.	d.	/	f.	
Resid. 15.	15.	44.	56	4.	
Prox. min. 840.	1435.	354.	35.		Add.
		<u>1.</u>	91.	4.	
		399.	<u>60.</u>		
			31.		
	Add. 1.	365.	15.		Subtr.
855.	1451.	d. 34.	à Cal.	Jan. 16.	f. 4.
Ann. Heg.	Ann. Chr.				

XII. Secundò perhibetur, annum captæ Constantinopolis fuisse quartum Constantini Palæologi. Intelligitur autem octavus hujus nominis, & ultimus Orientis Imperator Christianus. Ideo Chronologiam quoq; Græcorum Imperatorum, saltèm ab eo tempore, quo Turcarum regnum invaluit, retexemus. Hic verò omnia sunt confusissima. *Funccius*, postquam Michaelis Palæologi initium constituisset anno Christi 1260. eique 35. annos attribuisset, ad annum 1295. sic annotat: *Andronicus & Michael*

Michael Palaologi filii, Constantinopoli imperant. Horum tempora distincta non inveni. Ideo hanc lineam Turcorum Imperatoribus contradam, obiter iis indicatis, qui Constantinopoli imperarunt. Quin & Calvisius, qui sedulitate omnes videtur superasse, ad annum Christi 1341. in annis Johannis Palaologi & sequentium Imperatorum hærere se profitetur: Chalcocondylas enim, inquit, qui scripsit res Græciæ post Nicephorum, hoc anno desinentem, non adeò annotat tempora, igitur incertiora sunt, quæ in Græcis sequuntur. Videndum tamen, quid in hac incertitudine potioribus testimoniis consolidari possit. Ejusrei causâ diversam Imperatorum Græcorum & recensioem & Chronologiam ex variis autoribus hîc propono.

Imperat. Orient.	Zuing. è Merc.	Pantal.	Beroal.	Calvis.	Helvic.	Helv. ex Onuphr. & Chalc.
Andronicus Sen. cum Michael le F.	A. C. 1282. reg. 50.	1296.	1295. 37.	1283. 45.	1283. 45.	
Andronicus Jun. Cantacuze- nus, tutor Joa.	1325. 13. 1338. 16.		1332. 13. 1345. 16.	1328. 13.	1328. 13.	
Joannes Palaol. Calo-Joan.	1354. 30.	1343.	1361. 30.	1341. ut vid. 50.	1341. 42.	
Andronicus III. al. IV.	1384. 3.		1391. 3.		1384. 3.	
Emanuel, Calo- Jo. F. Joannes VII.	1387. 30. 1417. 3. an. 6. m.	1407.	1394. 30.	1392.	1387. 30. 1417. 3.	
Joannes IIX.	1420. 24.	1432.	1423. 24.	1424. ferè 25.	1420. 24.	1425. 24.
Constantinus IIX.	1444. 8.	1444.	1446. 8.	1448. 4. an. & aliqu. m.	1444. 10.	1450. 4.

B

Hinc

Hinc apparet, cum quanta sit inter autores discrepantia, tum quantum nonnulli ab initio ultimi Imperatoris Orientis aberrant. Nam qui illud in anno 1444. vel 1446. collocant, eique octo annos assignant, eos certè falli omnino manifestum est. *Calvisius* autem, Laonicum Chalcondylam secutus, mortem Johannis Palæologi, qui Pater fuit Constantini, in annum 1448. collocat. Quò cum certius nullum testimonium habeamus, in eo meritò acquiescimus. Hujus igitur annus quartus & ultimus cum tertio Muhammædis II. atque adèò Christi 1453. concurrit.

XIII. Tertius captæ Urbis Constantinopolitanæ character, indicio Chalcondylæ & Chronici Ungarici, est feria tertia, seu dies Martis, quæ consentientibus iis, qui à nobis aliàs abeunt, fuit dies 29. Maji, seu 4. Calend. Jun. Etiam si autem dictum Chronicon expressè testatur, fuisse hanc feriam tertiam post diem Corporis Christi, quò ipsò apertè eorum contradicit opinioni, qui Urbem in ipso Festo Pentecostes captam esse autumant: ex eo tamen fundamento, quòd expugnatio anno 1453. facta sit, assumptâ hac feriâ, falsitatem ejus adhuc apertius demonstrabimus; ac deinde feriam illam tertiam post diem Corporis Christi quoque, num rectè assignata fuerit, examinabimus. Quæstio igitur primò est, num anno 1452. an verò 1453. dies 29. Maji fuerit feria tertia? *secundò*, num feria tertia Pentecostes alterutro horum annorum inciderit in diem 29. Maji? *tertiò*, num anno 1453. feria tertia post Festum Corporis Christi in eandem diem inciderit?

XIV. Primò ad inveniendum, num anno 1452. vel 1453. dies 29. Maji fuerit feria 3. geminam methodum monstrat *Calvis. Isagog. Chronol. Cap. 16.* Juxta priorem operatio talis est.

Ann.	Cyc. Sol.
5.	13.
1447.	8.
<hr/>	
1452.	5.

Annus proximè minor in Tabula secunda Syzygiarum lunarium pag. 24. est 1447. cui adscriptus est Cyclus Solis 8. Residuum pro anno 1452. sunt 5. quæ in Tabula prima habent Cyclum Solis 13. Facta Subtractione prioris à numero residui, supersunt 5. qui Cyclus Solis designat annum Bisse-

Biffextilem, cum literis Dominicalibus B. A. quarum illa à Cal. Jan. usque ad 24. Febr. hæc verò deinceps valet. Inspecitò autem Calendariò Julianò, dies 29. Maji insignita est litera B. unde manifestum est, anno 1452. diem 29. Maji non fuisse feriam tertiam, sed secundam, quam designat B. quando A. litera Dominicalis est.

XV. Juxta posteriorem methodum *Calvisii*, (quæ absque Tabula Syzygiarum usurpari potest) annis 1452. addantur 9. & Summa per 28. dividatur: sic relinquuntur 5. qui est Cyclus Solis pro hoc anno. Deinde ex hoc Cyclo investiga feriam diei 29. Maji, modò antea ostensò. Eat nunc *Bellarminus*, & scribat, isto anno literam Dominicalem fuisse A. Nam 1452. designare annum Biffextilem, vel pueri in Scholis norunt, qui 52. per 4. divisus, nihil vident superesse.

XVI. Secundùm *Franckenbergerum* in Fundamentis Veræ Chronologiae, ita procedi potest. Primò videatur, quem Cyclum Solis habeat annus 1452. qui per ipsius Tabulas Syzygiarum lunarium sic deprehenditur, Numerus proximè minor est 1408. cum Cyclo Solis 0. Residuum 44. ubi Cyclus Solis 5. qui quæsitum ostendit.

Ann.	Cyc. Sol.
44.	5.
1408.	0. Subtr.
1452.	5.

Vel ex Periodo Juliana sic: ad annos 1452. adde 4713. nam annus 1. Æræ Christianæ statuitur respondere anno Periodi Julianæ 4714. Summam 6165. divide per 28. relinquuntur 5. quæ Cyclum Solis hujus anni exhibent. Deinde inquiratur, quâ feriâ Cyclus iste inchoetur. Ostendit autem ejusdem Tabula Cyclorum Solarium feriam 7. Hic numerus feriæ, sed dempta unitate, addatur ad numerum diei 29. Maji, inde à Calendis Januarii supputatum. Est autem in anno Biffextili, qualem præsentem esse vel Cyclus Solis ostendit, (nam hoc observare *Franckenbergeriana* methodus requirit) 150. Fiunt 156. Hæc dividantur per 7. Quod in residuo manet, ostendit, quæ feria d. 29. Maji fuerit, nempe 2.

B 2

Cycl.

Cycl. S. fer.

5. 7.
 $\frac{1}{6}$

d. 150. à Cal. Jan.
 156. Add.

(2)
 7
 156 (22)
 77

XVII. Vicissim verò pro anno 1453. in *Calvisii* Tabula residuum sunt 6. quæ habent Cyclum Solis 14. Subtrahe 8. (quem Cyclum Solis in annis expansis, ut antea vidimus, habet 1447.) à 14. supersunt 6. qui Cyclus habet literam Dominicalem G. Cùm igitur dies 29. Maji habeat literam B. patet, incidisse eam hoc anno in feriam 3.

XIIX. Juxta *Franckenbergerum* methodus ita se habet. Primò Cyclus Solis sic investigatur. Ad numerum proximè minorem 1408. cum Cyclo Solis 0. residuum sunt 45. cum Cyclo Solis 6. qui etiam reperitur per Periodum Julianam, in qua annus Christi 1453. est 6166. quæ Summâ per 28. divisâ, relinquuntur itidem 6. Deinde Cyclus Solis 6. inchoatur feriâ 2. Unitate igitur demptâ, & reliquâ additâ ad diem 29. Maji, seu (quia annus communis est) 149. & Summâ 150. per 7. divisâ, prodit feria 3. Sic igitur & hæc methodus quadrat, feriâque tertiam die 29. Maji anno Christi 1453. fuisse demonstrat.

XIX. Secundò dispiciendum est, num feria aliqua Pentecostes, & quota anno 1452. vel 1453. in diem 29. Maji inciderit. Pro anno 1452. methodus talis est. Primùm quæro Novilunium, & deinde Plenilunium Paschale, & sic apparebit cum Festum Paschatis, tum Pentecostes.

XX. Et juxta *Calvisium* quidem Novilunium Paschale anni 1452. sic investigo. In Tabulæ Noviluniorum parte secunda apud *Calvis.* fol. 24. numerus proximè minor est 1447. adscriptis d. 17. fer. 6. hor. 7. min. 4. secund. 45. Cycl. Sol. 8. Residuum 5. in prima Tabulæ parte habent d. 97. f. 2. h. 4. 12. // 38. Cycl. Sol. 13. Lunæ 9. Subtractis illis ab his, prodit tempus Novilunii Paschalis anno 1452. in hunc modum.

Anni	d.	f.	h.	/	//	Cyc. S.	L.
5.	97.	2.	4.	12.	38.	13.	9.
1447.	17.	6.	7.	4.	45.	8.	Subtr.
	79.	21.	21.	7.	53.	5.	9.

Ergo

Ergo Novilunium Paschale medium anno 1452. factum est die à Cal. Jan. 79. (qui intelligendus est completus, quia annus est Biffextilis: id quod circa Tabulas Calvisianas semper est observandum, quamquam ille nusquam hoc, quantum ego viderim, admonet) id est, 21. Martii fer. 2. completa, id est, 3. hor. 21. / 7. // 53. Cyclo Solis 5. Lunæ 9. Ad hoc repertum Novilunium adde unum Plenilunium, seu dimidiam Lunationem, nempe dies 14. fer. 7. hor. 18. / 22. // 2. ita, quod proveniet, indicabit Plenilunium hujus anni Paschale, nempe d. à Cal. Jan. 95. completâ, id est, 6. April. fer. 4. completâ, seu 5. hora post med. noct. 15. / 29. // 55.

Novil. Pasch.	d.	f.	h.	/	//	C. S.	L.
A. C. 1452.	79. compl.	2. compl.	21.	7.	53.	5.	9.
Plenil. I.	14.	7.	18.	22.	2.		
Plenil. Pasch.	1	$\frac{1}{21}$	15.	29.	55.	5.	9.
A. C. 1452.	95. compl.	7.					
		4. compl.					

Quoniam ergo Plenilunium Paschale anno 1452. incidit in diem 6. April. fer. 5. proximè sequente Dominica d. 9. April. (juxta Calendarium Julianum, licet contra statuta Concilii Niceni, siquidem coincidit eum Paschate Judæorum) fuit Festum Paschatis. Jam adde dies 49. & deprehendes, Festum Pentecostes incidisse in diem 28. Maji, feriam autem ejus secundam fuisse 29. Maji, tertiam 30. Maji.

XXI. Faciemus etiam periculum per methodum *Franckenbergianam*. Proximè minor numerus in ipsius Tabulis Syzygiarum Lunarum est, ut jam antea vidimus, 1408. additis d. 22. hor. 4. / 0. // 9. Cycl. Sol. 0. Residuum 44. d. 102. hor. 1. / 8. // 6. Cycl. Sol. 5. Lun. 9.

Ann.	d.	h.	/	//	Cyc. Sol.	Lun.
44.	102.	1.	8.	6.	5.	9.
1408.	22.	4.	0.	9.	0.	Subtr.
Novil. Pasch. 1452.	79. compl.	21.	7.	57.	5.	9.
Plenil. I.	14.	18.	22.	2.		Add.
Plenil. Pasch.	1	15.	29.	59.	5.	9.
A. C. 1452.	95. compl.					

B 3

Facta

Facta igitur Subtractione & Additione cognoscitur, Novilunium ac Plenilunium Paschale anno 1452. eodem modo se habere, ut antea per operationem Calvisianam, nisi quod in Secundis differentia quaternarii est. Proinde etiam Pascha & Pentecostes Festum eodem modo proveniet. Ferias *Franckenbergerus* studiosè & proprio consilio omisit, quæ quomodo indagandæ sint, jam antea est ostensum.

XXII. De Novilunio hoc (ut & consequenter Plenilunio) si dubitatio esset, verumne hujus anni Novilunium Paschale sit, nec ne, superpetent varia *κεντήρια*, de quibus tamen nolo nunc agere, cum non sit opus.

XXIII. Accedamus nunc ad annum 1453. Operatio juxta *Calvisianam* talis est.

Ann.	d.	f.	h.	I	II	Cyc. S. L.
6.	86.	6.	13.	2.	15.	14 10.
1447.	17.	6.	7.	4.	45.	8. Subtr.
Novil. Pasch. A. C. 1453.	69.	0.	5.	57.	30.	6. 10.
Plenil. I.	14.	7.	18.	22.	2.	Add.
Plenil. Pasch. A. C. 1453.	84.	1.	0.	19.	32.	6. 10.

Ita Plenilunium Paschale anno 1453. accidit die à Cal. Jan. 84. id est, 25. Mart. fer. i. med. nocte, / 19. // 32. Cyclo Solis 6. Lunæ 10. ubi Litera Dominicalis est G. & ipsum Pascha celebratum est d. 1. April. quæ est à Cal. Jan. 91. ad quam adjectis 49. datur Festum Pentecostes die 140. seu die 20. Maji.

XXIV. Juxta methodum *Franckenbergeri* sic proceditur.

Ann.	d.	h.	I	II	Cyc. S. Lun.
45.	91.	9.	56.	43.	6. 10.
1408.	22.	4.	0.	9.	0. Subtr.
Novil. Pasch. A. C. 1453.	69.	5.	56.	34.	6. 10.
Dimid. Lun.	14.	18.	22.	2.	Add.
Plenil. Pasch. A. C. 1453.	84.	0.	18.	36.	6. 10.

Rur-

Rursus in idem tempus cadit Novilunium, itémque Plenilunium Paschale, & consequenter etiam Festum Pentecostes anno 1453. ut antea per methodum *Calvisii*, nisi quòd híc quoque in primis & secundis exigua discrepantia est.

XXV. Majoris certitudinis atque evidentiae causâ, & ut alliciam alios quoque ad hoc studium tractandum, non gravabor etiam aliorum Autorum methodos huc applicare. Edidit paucos ante annos *M. Jac. Ellrodus* vernaculâ linguâ *Calendarium* medium, seu *Conformatorium*, id est, (ut ipsemet Latinum titulum voluit esse) *præter Iulianum & Gregorianum Tertium, sive intermedium*. Si igitur ad illius rationem per *Tabulam* ejus *Fundamentalem* Pascha & Pentecosten anni 1452. invenire cupio, primò quærendum est Plenilunium Paschale, cujus methodum ostendit quæst. 46. Schema tale est.

Ann.	d.	h.	/	
Unitate 1451.	18.	15.	10.	Radix Bissext.
dempta 1000.	15.	15.	13.	
400.	12.	3.	50.	
51. { 40	21.	21.	18.	
	11.	0.	9.	Add.
<hr/>				
	67.	15.	40.	
<hr/>				
Num. Period. prox.	73.	19.	50.	
Additum.	67.	15.	40.	Subtr.
<hr/>				
Plenil. Pasch. April.	6.	4.	10.	

Híc deprehenditur Plenilunium Paschale ann. 1452. aliquot horis prius, quàm antea per *Tabulas Calvisii & Franckenbergeri*, quemadmodum collatio demonstrat: id quod peritis Mathematicis dijudicandum relinquo. Pergemus autem ab hoc ad ipsum diem Paschatis invenendum. Híc ex præcepto quæst. 47. primò quærendus est *Cyclus Solis*, juxta quæst. 31. §. 2. Annus in *Tabulæ Cycli Solaris* parte 2. proximè minor est 1348. Hinc operatio hujusmodi se habet.

Ann.	1452.	Cyc. Sol.	Ex ☉
Prox.	1348.	13.	16.
Resid.	104.	20.	Add.

33
28. Subtr.

5. Cycl. Sol. lit. Dom. B. A.

Est

Est ergo anno 1452. Cyclus Solis 5. & Litera Dominicalis B. A. nempe B. à Cal. Jan. usque ad 24. Febr. A. autem deinceps. Deinde *Ellrodi-*
us quæst. 47. §. 2. inventâ Literâ Dominicali, jubet videre, quæ dies pro-
 ximè post inventum terminum Paschalem hujus Cycli literam Domini-
 calem habeat, utpote in quam Festum Paschatis incidat. Etiam si au-
 tem pro hoc inveniendò nullam præterea apud ipsum manuductionem
 reperio, est tamen ex ordine Calendarii Juliani, qui etiam apud *Calvisi-*
um pag 19. seqq. visitur, d. 9. April. Ita restandem eòdem recidit, quò
 superius ex methodo Calvisii & Franckenbergeri, ut nimirum Festum
 Pentecostes anno 1452. fuerit d. 28. Maji, litera Dominicali, pro ista an-
 ni parte, A.

XXVI. Pro anno 1453. operatio talis est.

Unitate	Ann.	d.	h.	/	
dempta	1452.	17.	15.	10.	Radix Comm.
	1000.	15.	15.	13.	
	400.	12.	3.	50.	
	52.	{ 40. 21.	21.	18.	
		{ 12. 12.	11.	20.	Add.
		2	1	III.	
		79.	66.	60.	
			48.	51.	
			18.		

	d.	h.	/	
Num. Period. prox.	103.	8.	34.	
Additum.	79.	18.	51.	Subtr.
Plenil. Pasch. April.	23.	13.	43.	
	1.	11.	30.	Add.
	1	1	73.	
Mart.	25.	25.	60.	
		24.	13.	
		1.		

Hic quia pro Plenilunio & Termino Paschali producta Aprilis dies est
 ultra 19. d. & 13. horas, addenda fuerunt 1. 11. 16. juxta quæst. 46. §. 3. ut
 ita

Ita Plenilunium ex mense secundo in præcedentem retrahatur, deprehenditurque accidisse die Mart. 25. hora 1. post med. noct. min. 13. in quorursus exigua est à superioribus differentia.

XXVII. Ad inveniendum Cyclum Solis anni 1453.

Ann.	1453.	Cycl. Sol.	Ex. ☉
Prox.	1348.	13.	16.
Resid.	105.	21.	Add.
		34.	
		28. Subtr.	
		6. Cyc. Sol. lit. Dom. G.	

Inventò Cyclò Solis 6. cum litera Dominicali G. dies, quæ post 25. Mart. proxima habet literam G. debet esse Festum Paschatis. Est autem d. 1. Aprilis. Huic si addantur dies 49. producetur Festum Paschatis, ut superius, die 20. Maji.

XXIIX. Hæc via est prolixior & laboriosior. Aliam paulò compendiosiore (sed aliis obnoxiam incommodis) ostendit idem *Ellrod.* quæst. 49. nempe per Tabulas Intervallorum, quam etiam tentare libet. Ad inveniendum Intervallum minus inter Festum Nativitatis & Dom. Quinquagesimæ juxta quæst. 37. investigandus est primò Numerus aureus, juxta methodum, quæst. 33. monstratam. Ejus numerus in Tabula VI. sub num. I. ostendit Intervallum sub litera Dominicali, quæ etiam priùs cum Cyclo Solari quærenda est. Cum reperto deinde Intervallo ingredienda est Tabula VII. Festorum mobilium, ubi Festum Paschatis & Pentecostes reperietur.

Pro numero aureo anni 1452. è II. Tab.
Cycli Lunaris.

Ann.	1452.	A. N.
Prox. min.	1184.	15.
Resid.	268.	2. Add.
		17. Aur. Num.

Hic pro anno 1452. reperitur aureus numerus 17. Verùm hic falsus est, ut ex superioribus patet, & producit quoque omnia festa mobilia falsa.

Assumpto enim eo cum litera Dominicali, quæ sup. reperta est, nempe B. A. sed assumendo solam literam B. ingressis Tabulam Intervallorum

C VI.

VI. pro Paschate designat sub litera Dominicali eadem B. diem 17. Aprilis, pro Pentecoste 5. Maji. Sed hæc falsa est designatio, quemadmodum è superioribus operationibus satis claret. At si cum vero numero aureo nempe IX. Tabulam dictam ingrediamur, reperitur verum Intervallum VIII. 1. Istud autem designat pro Paschate diem 10. Aprilis, ubi nihilominus error unius diei hæret, cum ad præcedentem 9. April. pertineat, ut antea demonstratum, & litera Dominicalis A. requirit, quippe quæ diei 9. Aprilis non competit. Geminum igitur vitium hinc deprehenditur, quorum quidem posterius corrigi facile potest, quemadmodum mox dicetur: sed de priori viderint alii. Prædicat quidem *Ellrod.* quæst. 30. de hac sua Fæstorum mobilium Tabula, quòd omnia Paschata, etiam absque discrimine annorum Biffextilium, ostendat. Sed in annis Biffextilibus certè fallit, quemadmodum præsens exemplum demonstrat. Declarabo etiam aliò. Annus hic currens 1664. est Biffextilis, cujus numerus aureus 12. lit. Dom. C. B. juxta Calendarium Julianum. Tabula Ellrodiana Intervalli minoris ostendit sub numero XII, & litera B. Intervallum VII. 1. quod quidem in Tabula Fæstorum Pascha collocat in 10. Aprilis, ubi hoc anno fuit: sed Intervallum non est VIII. septimanarum, & unius diei, sed duorum. Tale autem Intervallum reperitur sub numero aureo XII. cum litera Dominicali C. & postea Pascha perperam figit in d. 11. Aprilis. Sumamus aliud exemplum. Anni 1660. itidem Biffextilis, numerus aureus est 8. Litera Dom. A. G. Sumo literam G. ubi offendo IX. 6. sed error est, & verum Intervallum datur sub litera A. nempe X. 0. cum tamen ille nupspiam, quod ego observaverim, indicet, in annis Biffextilibus priorem literam Dominicalem assumendam esse. Hoc Intervallum Pascha demonstrat in d. 23. Aprilis, cum tamen 22. fuerit. An fortassis huc referendum, quod quæst. 50. NB. 2. circa Dominicam Reminiscere admonet, ut scilicet in annis Biffextilibus à reperto per Intervallum die mensis, una dies subtrahatur? Atque id quidem in tribus istis exemplis procederet. Sed primò adhuc errorem esse, operatio de anno 1452. apertum facit, ubi vitiosus numerus aureus productus fuit. Deinde admonitio de subtrahenda una die, in ipsiusmet exemplo fallit, cum dicto anno 1660. (quem pro exemplo assumit) Dominica Reminiscere
non

non fuerit die 17. sed 18. Martii, quemadmodum etiam litera Dominicalis G. requirit. Non pigebit, rem adhuc unico exemplō experiri. Annus 1656. est Biffextilis: numerus aureus 4. Litera Dominicalis F. E. Numerus aureus IV. cum litera F. indicat Intervallum VII. 5. quod verum est. Sed rursus Pascha die uno posterius fit, nempe d. 7. April. cum in diem 6. incidit, quod ostendit iterum, & requirit litera Dominicalis. Duo igitur pro certis hinc videor mihi invenisse: primò, quòd in annis Biffextilibus, ad inveniendum in Tabula Ellrodiana Intervallum minus, assumenda sit litera Dominicalis prior: secundò, quòd pro reperta die Paschatis, in iisdem annis, sumenda sit proximè præcedens; & sic etiam in reliquis festis. Habet quidem similem pœnè observationem quæst. 26. §. 4. & quæst. 41. §. 2. sed illa huc non pertinet, nec quadrat, sed ad Tabulam Universalem. Quod autem nostrum thema de anno 1452. attinet, malim ab ipso Dn. Autore informationem meliorem expectare. Ego enim nec inter Mathematicos nomen profiteor meum, nec inter Astronomiæ peritos: sed ab iis, quorum est ista è professio tractare, libenter gratòque animo accipio, quantum tractatio rerum Chronologicarum requirit.

XXIX. *Barthol. Scultetus* anno 1574. in vernacula lingua edidit *Computum Ecclesiasticum, in Calendarium perpetuum omnium huius mundi annorum Christi directum & extractum*. Ex eo, antequam ad annum nostrum 1453. progrediar, libet etiam Paschata hætenus tractata investigare. In secunda igitur illius parte, ubi annos Christi expansos & singulos ponit, usque ad 2660. Columnâ III. talem reperio ordinem:

A. C. 1452. Indict. 15. Cyc. Sol. 5. Lit. Dom. B. A.
 Num. Aur. 9. Interv. min. 8. Sept. 1. d.

Cum hoc Intervallo pergo ad Partis 3. Tabulam II. Festorum mobilium, quæ complectitur Pascha in extrema columna, ubi inter annos Biffextiles in promptu est sub Intervallo minori 8. 1. Pascha in die 9. April. Pentecoste in d. 28. Maji. Similiter pro anno 1664. sub Intervallo minori 8. 2. exhibet Pascha d. 10. Aprilis. Pro 1660. sub Intervallo min. 10. 0. d. 22. Aprilis. Pro 1656. sub Intervallo min. 7. 5. d. 6. Aprilis. Hæc pro imperitis quoque via expeditissima est, integrum etiam Calen-

clarium (exceptis aspectibus coelestibus, & aliis inde dependentibus) extruendi: ubi tamen suppetias fert Computi illius Pars I.

XXX. Tempus jam est, ut pedem promoveamus ad annum 1453. Operatio ex methodo Tabulae Intervallorum *Ellrodiana* talis est.

Pro inveniendo aureo numero anno 1453.
è II. Tab. Cycli Lunaris.

Ann.	1453.	A. N.
Prox. min.	1184.	15.
Resid.	269.	3. Add.
		18.

Hic debet esse Numerus Aureus pro anno 1453. sed iterum falso, cum verus sit 10. Sed assumatur tamen litera hujus anni Dominicalis G. & cum 18. quæraturn Intervallum minus. Reperitur VI. 6. ubi per accidens fit, quod nihilominus in Tabula Festorum designatur verum Pascha, nimirum d. 1. April. quia nimirum idem Intervallum est etiam sub Cyclo Lunari 10. Et sic elicitur etiam verum Festum Pentecostes, quod ibidem figitur in 20. Maji.

XXXI. In *Scultero* reperio hunc ordinem:

A. C. 1453. Indict. 1. Cycl. Sol. 6. Lit. Dom. G. Cyc. Lun. 10.
Intervall. min. 6. 6.

Sub hoc Intervallo in Tabula annorum communium pro Paschate designatur d. 1. Aprilis, pro Pentecoste d. 20. Maji.

XXXII. Demonstratum haftenus est, anno quidem 1452. Pentecostes festum in diem 28. Maji incidisse, quò pacto feria tertia non est 29. sed 30. Maji: sed anno 1453. idem Festum fuisse d. 20. Maji, atque adeò diem expugnationis Urbis Constantinopolitanae, nempe 29. Maji, eandemque feriam tertiam, à Festo Pentecostes aliquantò longius abire. Superest, ut videamus, quid de testimonio *Chronici Ungarisi* statuendum sit, quod hanc diem pro *feria tertia post diem Corporis Christi* venditat. Ego Chronicon istud non vidi, ut adeò de eo nihil certè pronunciare possim. Si tamen ita habet, ut à *Bucholzero* citatur, errore non caret. Quando enim Festum Pentecostes est die 20. Maji, Festum Corporis Christi est die ejusdem mensis 31. quemadmodum etiam repe-

reperitur in Tab. *Sculteti*. Ita dicendum potius fuisset, captam esse Constantinopolim feriâ tertiâ ante Festum Corporis Christi, seu post Octavas Pentecostes, id est, (ût vulgò loquimur) Festum SS. Trinitatis, quippe quæ in 29. Maji tum cadit.

XXXIII. Quartus anni captæ Urbis Constantinopolitanæ character suppeditatur à Venetiarum Duce, in citata epistola ad Fridericum Imperatorem, qui factum testatur esse *Indictione prima*. Etiam si igitur annum non expressisset, potuisset tamen (modò id certum fuerit, fuisse unum è decuria quinta supra millesimum & quadringentesimū annum) absque omni dubio deprehendi. Cùm autem aliàs tergemina Indictio sit, Cæsarea scilicet, à Constantino M. instituta, Constantinopolitana, & Romana, seu Pontificia, quæ singulæ alios atque alios terminos habent: notandum est, hic intelligi postremam, quæ jam tum temporis in Romana Ecclesia in usu fuit, atque etiamnum in tota Europa est, & initium sumit à Calendis Januarii. Hæc, docente *Calvisio* Isagog. cap. 16. invenitur in annis *Æræ Christianæ*, si numero annorum dato tria adjiciantur, & tota Summa dividatur per quindecim. Quod enim in residuo manet, Indictionem anni quæ sitam ostendit. Si nihil remanet, indicatur postrema Indictio, nempe 15. Ergo anno 1452. fuit Indictio 15. sed anno 1453.

$\begin{array}{r} 1452. \\ 3 \\ \hline 1455 \end{array}$	$\begin{array}{r} 73 \\ 80 \\ \hline 1488 \\ 188 \\ \hline 1676 \end{array}$	$\begin{array}{r} 1453 \\ 3 \\ \hline 1456 \end{array}$	$\begin{array}{r} 73 \\ 80 \\ \hline 1488 \\ 188 \\ \hline 1676 \end{array}$
--	--	---	--

Atque utramque Indictionem invenimus etiam superiùs in Tabulis *Sculteti*, éstque expressa à *Calvisio* in Chronologia, unà cum Cyclis Solis & Lunæ convenientibus, prout solet.

XXXIV. Ita jam satis ex veris fundamentis Chronologicis demonstratum est, Constantinopolim non anno 1452. sed 1453. & quidem minimè in Feriis Pentecostalibus, sed post Festum SS. Trinitatis feriâ 3. seu die Martis, nempe 29. Maji à truculentissimo Christiani nominis hoste expugnatam captamque esse, idque ùt immotam veritatem con-

tra omnes dissentientes defendi posse. Et hoc vidit jam dudum etiam
Baronii epitomator *Spondanus*, quando ad hunc annum ita scri-
psit: *Capta est Vrbs Constantinopolitana feria tertia, sive Martis, vigesima
nona Maji, seu 4. Calendarum Iunij. Quod verò nonnulli recentiores ad-
dunt, fuisse tunc tempus Pentecostes: dixerunt id ipsi, sive persuasi, cladem
contigisse Anno 1452. quo dies Pentecostes incidit in diem vigesimum octa-
vum Maji, ut sic argumentarentur, illatam Græcis illam esse in pœnam eo-
rum hæreseos de Spiritu Sancto: sive absque ullo temporis examine, etiamsi
cladem ponant Anno 1453. noluerunt argumentationem illam de Spiritu San-
cto prætermittere, cum ceteroquin dies Pentecostes presenti Anno 1453. quo
Pascha contigit prima Aprilis, incidit in vigesimam Maji, ac proinde cla-
des biduo post illius Festi Octavas.* Hæc ille. Nos omnia ista evolutè
docuimus, non solum eum in finem, ut de rei veritate tantò apertiùs
constaret, sed ut hoc insigni & illustri exemplo insimul viam common-
strarem, in aliis quoque Chronologicis dubiis rem ad vera hujus Sci-
entiæ principia, veluti ad Lydium lapidem, examinandi. Experimur
enim, multos in res Chronologicas irrumpere illotis planè manibus,
dum audent de temporum ratione judicare, cum, quomodo judicium
instituentum, aut unde petendum sit, minimè intelligant. Cujus qui-
dem rei vel unica penes plurimos hæc causa est, quòd à multis sæculis
studium istud, tam necessarium, quàm utile, negligentius est habitum;
neque etiam, postquam operâ Magni illius *Scaligeri* è tenebris quasi in
lucem est protractum, ab illis, qui in eo excolendo & propagando per-
plurimum præstitere, sufficiente pro discere cupientibus methodo &
perspicuitate tractatum: Reperiuntur tamen hodie Viri sanè quàm
doctissimi, qui si velint, succurrere studiosæ juventuti hac quo-
que in parte facilè queant. Quos inter præcipuè ac meritò nomi-
no autorem Breviarii Chronologici, Dn. *AEgid. Strauchium*, prout ex
ungue leonem ego agnosco. Dn. *Reinhold. Franckenbergerum* p. m.
observavi in Fundamentis veræ Chronologiæ, quæ veluti prægustum
quendam Orbi literato dedit, Chronologiam promittere, in qua multa
pleniùs traditurus sit: de qua tamen nihil amplius compertum hætenus
habeo, nisi quòd spes possit esse, ut ex ipsius aliquando scriniis commo-
dò publicò proferatur, Ego tametsi, quàm curta mihi domi sit supel-
lex,

Ilex, melius agnosco, quam quisquam, eo tamen fine ante hoc quadricen-
nium, & quod excurrit, *Dissertatione de Natura & Constitutione Chrono-*
logia edita, delineatione brevi indicavi, quid ex meo, fat paupere licet,
penu communicare cum aliis non solum possem, sed vellem quoque, si
essent, qui sumptibus suis negotium promoverent. Non tantum enim
plane ac methodice de omnibus, in quibus totum studii Chronologici
momentum situm est, agere constitui, & ea perinde, ut in isto Apospa-
smate factum, exemplis declarare: verum etiam cum continua anno-
rum ab Orbe condito usq; ad finem septuaginta Hebdomadum Danie-
licarum, diversa quidem a multis, sed bene fundata serie, prolixiorem
Commentarium in difficilima Scripturae loca (quae absque exquisitiore
Chronologiae cultura nunquam expediri posse videntur) edere. Cum
autem defuerint haecenus, & qui huic operi suam addicerent operam,
& qui currere volenti calcar adderent, fateor, me quoque multis poene
similem factum elanguisse. His tamen paucis chartis, esse adhuc in
me pristinam voluntatem, talentulum meum non abscondendi, signifi-
care volui, quia, ut facerem, par esse duxi. Benevolum proinde Le-
ctorem, & amantem bonorum studiorum, de hoc meo qualicumque
conatu haud sinistre iudicaturum, sed cum potius si non factis, saltem
voto suo adjuturum totus confido. Deus Opt. Max. conterat dentes
orientalis tyranni, ut recuperata Hungariae & Germaniae pace, quae ad
commodum Ecclesiae & totius literariae Reipublicae faciunt, porro
etiam suscipere ac tractare liceat, per JESUM CHRISTUM, unicum
orbis Redemptorem & Salvatorem,

AMEN.

F
I N I
S.

☉(○)☿:☉(○)☿
☉:(○):☿
☿

AK T. 6108

nl

13-A



Q.K. 368, 24.

X 1903

CHRO

CAPT.
CONSTA

non n

*imò in tanta calig
hoc*

M. C
Suir

An



EXC

CUM

RBIS
TANÆ

im

onologicarum

CHIO,

BIBLIOTHECA
ONICKAVIANA

